

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

SERVITUTE LUMINUM ET NE LUMINIBUS OFFICIATUR,

QUAM

EX RECTORIS MAGNIFICI P. J. DESTRIEVAUX,

ET SENATUS ACADEMICI AUCTORITATE,

PRÆVIO FACULTATIS JURIDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORIS

IN JURE ROMANO ET HODIERNO,

SUMMISQUE IN JURISPRUDENTIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LEODIENSI

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT,

Die Junii 1824

AUCTOR

M. G. J. FIESS, LUXEMBURGUS.

LEODII, TYPIS P.-J. COLLARDIN, TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXXIV.

Le *Specimen* sera soumis à la censure de la Faculté , afin de s'assurer qu'il ne s'y trouve rien de contraire à la tranquillité publique et aux bonnes mœurs ; chacun étant , du reste , libre de présenter au public les résultats de ses opinions , sans que , pour cela , ils puissent être considérés comme ceux de la Faculté ou de l'Université.

Art. 56 du Règlement.

OPTIMIS PARENTIBUS,

ÆTERNA PIETATE COLENDIS

HASCE QUAESUMQUE PAGELLAS

TANQUAM EXIGUUM AMORIS

VENERATIONIS ET GRATI ANIMI

PIGNUS

VOVET ATQUE DEDICAT

AUCTOR.

Door *licht* wordt alleen het noodig licht, zonder *uitzigt* verstaan.

BURGERLYK WETBOEK, Tit. V. Afd. I. Art. VII.



INTRODUCTIO.

LIBERA in proprio fundo ædificandi facultas (1), pro natura aut ratione loci, per regionis statuta generalia aut specialia, per longum usum et per onera fundo incumbentia, restringi potest.

Legislatio romana continet leges, quibus hæc licentia restringitur, quod cæterum per privatorum pacta fieri potuit (2).

Qui capax est distrahendi universum jus proprietatis, quod sibi in fundum competit, partes hujus juris, et nominatim libertatem ædificandi alienare potest. Ex ejusmodi cessione, quippe libertatis, in libertatem alterius fundi facta, huic nascuntur jura, illi onera, quibus servitutes constituuntur. Inter hæc onera ædificiis nostris imposita etiam illud est, quo renuntiamus ædificandi facultati, ne

(1) L. 30. D. 7. 1. de usufr. L. 9, 10, 41, §. 1, D. 8. 2. de serv. præd. urb. — L. 24. §. 12, in f. D. 39. 2. de damn. inf. — L. 55. D. 50. 17. de reg. jur. — L. 8. 9. C. 3. 34. de serv. et aqua.

(2) *Gothofredus* ad. l. 1. §. ult. D. 39. 3. Nota. 1.

vicino lumen tollamus , et hæc restrictio appellatur *servitus lumen*-
num aut ne luminibus officiatur.

Cum vero in codice nostro civili hodierno , nil expressim de
hac materia statutum sit . articulos 676 et 677 explicandos credi-
dimus , quia de onere loquuntur , quo dominus fundi nil aliud nisi
lumen in muro suo aperire potest. Dividimus ergo thesin nostram
in duo capita , in quorum primo agemus de jure romano , in
secundo vero hos articulos juris civilis hodierni , explicabimus.

C A P. I.

DE eo, quid sit, ex genuina juris romani notione, Servitus lumenum et ne luminibus officiatur, a glossatorum ætate ad hunc usque diem maxima semper fuit inter interpres controversia.

Sed ne Dissertationem nostram inutili enumeratione opinionum omnium interpretum adimpleamus, probabiliorem earum propone-
mus; secundum quam *luminum servitus* est jus in fundo alieno,
quo dominum hujus prohibere possumus, quominus in eo quid faciat, quo lumen nostrarum ædium tollatur, h. e., *penitus reclu-*
datur (1): *servitus*, vero, *ne luminibus officiatur*, jus in fundo alieno,
quo dominum hujus prohibere possumus, quominus in eo quid faciat, quo lumen nostrarum ædium minuatur vel minimum (2).

Differunt ergo servitus luminum et ne luminibus officiatur solummodo in eo, *quod altera plus, altera minus continet*, nam qui lumen servitatem alteri debet, potest ædificare, altius tollere et quidvis facere, *modo lumen necessarium vicino relinquat*; cum is qui debet servitatem ne luminibus officiatur, *nihil plane, quo vel minimum lumen pœdii dominantis minuatur*, facere possit, nisi lumina huic abundant.

In his itaque duabus vocabulis : *tollere* et *minuere* lumina , omnis consistit inter servitutem luminum et ne luminibus officiatur diffe-

(1) L. 10. in f. D. de serv. præd. urb. — Sed ita officere luminibns et obscurare legatas ædes conceditur , ut non penitus lumen recludatur , sed tantum relinquantur , quantum sufficit habitantibus in usus diurni moderatione.

(2) Hac definitione apparet, servitutem ne luminibus officiatur, *negativam esse servitutem*, nihilominus ab omnibus fere interpretibus, ob male intellecta *Pauli* in l. 4. D. de serv. urb. verba illa: *& vicinus lumina nostra excipiat & assimativa habetur.*

rentia , et hac explicacione omnis de utraque servitute controversia absolvitur.

In *luminum servitute* sufficit , eum , cui debetur , lumina prædii servientis ita excipere , *ut quoquo modo domus dominans vel pars ejus illuminetur* ; in servitute , ne *luminibus officiatur* , vero , lumina ejus , cui servitus debetur , *ne minimum quidem minui possunt , sed quæ nunc sunt , semper in eodem statu manere debent*. In *luminum servitute* sufficit *lumen necessarium* ; in servitute ne *luminibus officiatur* , omne , quod habuit dominans , cum servitus constitueretur , *lumen imminutum semper ipsi reliquendum est , et si ipsi forte abundet*. In *luminum servitute* sufficit (1) *ut non penitus dominanti lumen recludatur , sed tantum relinquatur , quantum opus est habitantibus in usus diurni moderatione* ; in servitute ne *luminibus officiatur* , *lumina , uti sunt , ita imminuta manere debent* (2). — In *luminum denique servitute* sufficit (3) *ut non in totum ædes obscurentur , sed modicum lumen , quod dominanti sufficit , habeant*. In servitute ne *luminibus officiatur* , *lumen totum* quod dominantes ædes , cum servitus constitueretur , habebant , ipsis relinquendum est.

Secundum hæc , servitus ne *luminibus officiatur plus* , servitus *luminum vero minus* continet ; hæc semper illi necessario inest , nunquam vero vicissim huic illa (4).

(1) L. 10. D. de serv. præd. urban. sup. cit.

(2) L. 23. D. de serv. præd. urb.

(3) L. 30. D. de usufr. Si is , qui binas ædes habeat , aliarum usumfructum legaverit , posse heredem , *Marcellus* scribit , alteras altius tollendo obscurare *luminibus* , quoniam habitari potest etiam obscuratis ædibus. Quod usque adeo temperandum est , ut non in totum ædes obscurentur , sed modicum lumen , quod habitantibus sufficit , habeant.

(4) Hanc nostram sententiam jam olim suboluerunt : *Paulus Castrensis* in Commentar. ad l. 4. D. de serv. præd. urb. ubi dicit : « Servitus luminum in

Sed corroboremus nunc hanc nostram interpretationem , argumentis ex ipsis legibus petitis , et incipiamus statim a loco principali quem habet *Paulus* in l. 4. D. de serv. præd. urb. — « *Luminum servitute constituta , id acquisitum videtur , ut vicinus lumina nostra excipiatur. Cum autem servitus imponitur , ne luminibus officiatur , hoc maxime adepti videmur , ne jus sit vicino invitatis nobis altius ædificare , atque ita minuere lumina nostrorum ædificiorum.* »

Plura sunt quæ ad hanc legem notabo et primum quidem verba

« minus se habet , quam servitus ne luminibus officiatur ; quia , in primo casu , qui debet servitutem , potest altius ædificare *dummodo reservet tantum lumen , quod sufficiat mihi : sed* in secundo casu non potest aliquid facere , per quod ab eo aliquid diminuatur , posito quod habeam ultra quam expediat . Si ergo habeo plures fenestras in parietibus meis , et per unam tantum lumen habeo , quod sufficit , si constituisti servitutem luminum , potes nihilominus ædificare et auferre lumina aliarum , et reservare unam , quæ sufficiat . Non sic si servitatem debeas altius non tollendi ; vel ne officiaris luminibus domus meæ ; nullam enim claudere potes . Et sic nota , quod plus importat negativa , quam affirmativa . »

Ad hæc , *Pauli Castrensis* verba , annotandum credo :

1º. Quod hanc suam sententiam , veram licet , nulla lege , nulla legis interpretatione , nulloque legis argumento solido firmaverit , sed contentus fuit mera opinionis suæ enunciatione .

2º. Ad declarandam suam sententiam , falso et errore utitur exemplo , quod docet , non intellexisse ipsum veram servitutis luminum naturam et indolem .

3º. Quod addit de negativa plus importante , quam affirmativa nullius plane momenti , immo falsum est , nam servitus luminum notione sua , non minus servitus negativa est , quam servitus ne luminibus officiatur .

Cf. adhuc *Barth. Cœpolla* , de serv. præd. urb. et rust. Cap. 35 et 36. — *Franc. Balduinus* , in commentar. ad §. 1. J. de servit. n°. 15. p. m. 193. — Contra nostram opinionem præcipue scripserunt *Ern. Chr. Westphalius* , de libert. ac serv. prædiorum §. 604 not. 527. *Zacharias Huber* in casib. enucleat. qu. 14. Cap. 1. §. 8. p. 281. — *Feuerbachius* in libello , *Civilistische Versuche* , p. 9.

illa : « *Ut vicinus lumina nostra excipiat* », explicanda sunt. Omnes sere interpretes, « *vicinum* » in his verbis, referunt ad *dominium prædii servientis*, et « *lumina nostra* » ad dominum prædii *dominantis*, quasi Paulus statuere vellet, *dominium servientem pati aliquid a dominante*, hoc est, *lumina hujus excipere debere* (1).

Sed eos errasse contendo : nam cum male putarent, secundum *Pauli* illa verba *servientem pati aliquid debere*, servitutem luminum *affirmativam* dixerunt esse servitutem, cum certe sit *negativa* ut infra probabo.

At *Pauli* longe alia in verbis istis mens est. Tantum enim abest, ut, « *vicini* » in illis vox ad dominum prædii *servientis* et « *lumina*

(1) Cf. *Eguin. Baro*, Comment. ad Tit. J. de servitutibus p. m. 92. ubi ait, « *excipere lumen dicitur vicinus, qui reçoit nos fenêtres, ou autres ouvertures, pour avoir vue par en haut, sur son héritage.* » — *Duarenus*, I. Disp. 33. — *Cujacius*, Comment. ad l. 4. D. de serv. urb. Opp. Neapol. Tom. VII. p. 408. lit. e. — *Donellus* XI. comment. Jur. civ. §. 5. sed adversatur, etc. *Balduinus* in comment. ad §. 1. J. de servit. N°. 15 p. m. 193 et in Jpd. rom. et attic. Tom. 1. p. 721. — *Merrillius*, in comment. ad l. 15 §. 1. D. de servit. (ap. *Ottudem* Tom. III. p. 649). — *Robertus* IV sentent. 7. p. m. 417. — *Ant. Faber* XIX conject. jur. 15 p. m. 55. — *Joh. d'Avezan*, in servit. libro. (ap. *Meermann* Tom. IV p. 162 col. 1.) — *Vinnius*, comment. ad §. 1 J. de servit. n°. 9. — *Noodt*, Tit. de serv. urb. §. Dedi, etc. — *Huber*, prælectiones ad Tit. J. de servit. n°. 13. — *A. Schulting*, in Jpd. antejust. p. 76. n°. 30. §. atque hoc casu, etc. *Westphal*, de libert. et serv. p. 16. §. 604. n°. 527. — *Hofaker*, princ. jur. rom. germ. §. 1089. — *Hoepfner*, in comment. ad Inst. §. 362. n. 1. — *Dabelow*, in libello : über die servitus luminum der Roemer p. 25 et 26. — *Glück*, in comment. ad Pand. Tom. X. p. 109. — Etiam *Feuerbachius*, licet alia, quam hactenus recensiti interpretes, ratione *Pauli* illa verba : « *ut vicinus lumina nostra excipiat* » intelligat, in eo tamen cum illis consentit, ut haec verba non ad dominantem, sed ad servientem dominum refrarat.

nostra » ad illum *dominantis* spectent, ut potius contrarium verisimilum sit, et *vicinus*, in verbis illis, *dominus prædii dominantis* intelligendus sit, *lumina nostra* autem, de *prædii servientis* luminibus intelligi debeant, hoc sensu : lumen servitute constituta id acquisitum videtur, ut *vicinus*, i. e. *prædii dominantis* proprietarius, *lumina servientis* excipiat, hoc est : *recipiat, seu recipere possit ad illustrandas suas ædes vel partes illarum.* Eodem itaque modo verba hæc intelligenda sunt, ac si *Paulus* dixisset : lumen servitute constituta id *vicino* (*dominanti*) acquisitum videtur ut *lumina nostra* (*sc. servientis*) excipiat, hoc est, excipere possit (1).

Et sane omnia ad hanc opinionem firmandam concurrunt. Primum enim jam naturali verborum sensui convenit, ut *prædium dominans*, non *serviens* lumina excipere dicatur.

Deinde, illorum sententia, qui putant, *Paulum* in l. 4. D. cit. docere, in servitute lumen dominum *servientem excipere* debere *lumina domini dominantis*, etiam falsa est, quia coacti sunt, *lumina* in ea lege interpretari per *fenestras* (2). At nec *Paulus*, nec ullus alias *Jctus romanus*, cuius in *Pandectis extant* fragmenta, lumen aut lumina pro fenestrī usurpavit. — *Paulus* ipse in l. 16 D. de serv. urb. lumen definit id esse, *ut cœlum videretur* (3). — Acc-

(1) Cf. quoad hanc explicationem, in opere : « *Archiv für civilistische Praxis* » egregiam commentationem de servitute lumen viri cl. *Goldschmidt.* p. 427.

(2) Clr. *Feuerbach*, in Opusculo, *Civilistische Versuche* p. 35 hanc opinionem optime refutavit, ejus argumenta hic breviter retero.

(3) Consentit *Ulpianus* in l. 17. pr. D. eod. Et dum in §. 1 et 2 ejusdem legis de eo loquitur, qui plus æquo lumen facit, et de *lumine*, quod pressura quadam in ædes devolvitur; dum idem *Ulpianus* in l. 15. D. eod. de *luminis impedimento*, dum porro in illa ipsa l. 4. D. cit. *Paulus* de minuendis luminibus, et in l. 30. D. de usufr. de modico lumine, quod habitantibus sufficit; *Marcellus* item in l. 10. D. de serv. urb. de lumine, quantum sufficit habitantibus

dit, quod, etsi concedere vellemus, *Paulum* lumina in l. 4. cit. pro fenestris usurpasse, tamen non bene perspiceretur, quomodo dominus serviens *fenestras dominantis excipere* dici posset. Fenestras enim, quas in *suo pariete* dominus aperit, paries quidem dominantis recipit, at non recipit paries servientis. E contrario, quod optime dicatur dominans lumen ex area servientis in suas ædes *excipere, recipere, immittere*, quilibet intelligit.

Tertio, *excipere* seu *recipere* lumen ex prædio vicini in suas ædes, et *immittere*, seu *intramittere* lumen ex prædio vicini in suas ædes, eadem sunt, eundemque præbent sensum. Jam vero cum *Paulus* in l. 4o. D. de serv. urb. de lumine ex prædio vicini in proprias ædes *immittendo, TANQUAM DE JURE, h. c., UTILITATE ET COMMODO, NON ONERE,* loquatur, quam minime probabile est, eundem *Paulum* in l. 4. D. cit. de luamine ex prædio vicino in proprias ædes *excipiendo, tanquam de ONERE ET NON TANQUAM DE COMMODO ET UTILITATE locutum fuisse, immo potius quam probabilissimum est, in utroque loco, Paulum de jure non de onere luminis loqui.* Quæ si ita sint, eo ipso illorum interpretum sententia falsa est qui verba Pauli : « *ut vicinus lumina nostra excipiat* » ad dominum servientem, lumina dominantis excipientem, referunt.

Quarto, omnes interpretes, qui *Paulum* hoc perverso modo interpretantur, voces : *lumina nostra*, in cit. l. 4. ad dominantem referunt. Sed quæro, quo probabili modo serviens *lumen cœli dominantis excipere* dici possit? At si e contrario » *lumina nostra* « referuntur ad servientem, optima constat ratio, cur *servientis lu-*

*in usus diurni moderatione, loquitur; cum denique nullus, ne unus quidem, juris locus allegari possit, quo lumen pro fenestra dictum fuerit, idque ipsum sermonis quoque proprietati repugnet maxime, plene, credo, probatum est, falli vel maxime eos omnes interpretes, qui *lumina nostra* in dicta l. 4. interpretantur per *fenestras nostras*.*

mina Paulus nominet, quæ ex servientis area recipit dominans. Nam cum constet, ejus, cuius solum est, etiam cœlum esse (1), recte Paulus ea lumina, quæ dominus dominans ex cœlo, quod supra aream prædii servientis est, excipit, seu recipit, vel immittit in suas ædes, *domini fundi servientis* esse dicit.

Quinto, quodsi *a)* servitus lumen non est jus in alieno vel communi pariete fenestras aperiendi, et *b)* lumina in l. 4. D. cit. non fenestræ sunt, sed lumen cœli, ut ipse definit in l. 16. D. de servit. urb. (2), sensum prorsus nullum rationabilem habere amplius possunt verba illa *Pauli*: *ut vicinus lumina nostra excipiat*, si ad servientem dominum ea referuntur; immo vero, posito hoc, *Paulus* dicere nequaquam potuit, in lumen servitute dominum servientem excipere s. *recipere debere* lumen cœli domini domi-

(1) L. fin. §. 4. D. quod vi aut clam. — L. 1. D. de servitut. urban. — *Baldwinus* in Jpd. rom. et attica. tom. 1. p. 721. — *Ant. Contius* Opp. Neap. pag. 211. — *Cujacius* Opp. Neapol. tom. VII. p. 405. D. — Ex hoc principio juris servitutes projiciendi et protegendi ~~solummodo~~ oriuntur; et ex eodem principio est, quod quivis in sua area in infinitum et ad cœlum usque ædificare posse vulgo dicitur. — L. 24. D. de serv. urb. — Add. l. 14. §. 1. D. si serv. vind. — *D'Avezan* in servit. libro. (Ap. *Meermann* tom. IV. p. 124. col. 2.) — Cum itaque dominus areæ, id est, dominus prædii servientis, absque constituta servitute lumen, solus disponere possit de lumine, quod ex cœlo, quod supra ipsius aream est, ad ædes domini dominantis transmitti potest, ædificando in area sua et pro lubitu intercludendo fenestras hujus vicini; hic vero vicinus nullo modo de eo disponere possit, immo vero ab altero recte prohibetur, quominus de eo disponat, projiciendo vel protegendo aliquid in suum aerem: optima sane constat ratio, cur *Jctus Paulus* dominum servientem, non dominum dominantem putet dicatque *dominum lumen*. Is enim dominus lumen utique est, qui de iis disponere potest; et is nequaquam dominus lumen appellari potest, qui ab alio prohiberi potest, quominus de iis disponat vel minimum.

(2) L. 16. cit. *Lumen*, id est, ut cœlum videretur, et interest inter *lumen*, et *prospectum*: nam *prospectus* etiam ex inferioribus locis est; *lumen* ex inferiori loco esse non potest.

nantis (1). Atqui certum est , servitutem luminum non esse jus in alieno vel communi pariete fenestras aperiendi , et lumina in l. 4. D. cit. Paulo non esse fenestras , sed lumen cœli : ergo , Paulo in l. 4. D. cit. mens hæc tribui non amplius potest , ut in luminum servitute dominum servientem excipere seu recipere debere lumen cœli fundi dominantis , Paulum statuisse dicamus.

Tali modo primum et præcipuum legis 4. D. de serv. urb. articulum satis probasse credimus. Transeamus nunc quod ad l. 4. cit. annotandum , ad servitutem , ne luminibus officiatur ; et attendamus ad vocem : *maxime* , qua Paulus utitur , dicens : « Cum autem ser- » vitus imponitur , ne luminibus officiatur , hoc *maxime* adepti vi- » demur , etc. » Hac voce Paulus indicare voluit , constituta servi- tute ne luminibus officiatur , id *potissimum* adquisitum esse , ne vicinus *altius ædificando* minuat lumina nostrarum ædium ; sed ni- hilominus hoc *generaliter* contineri , *ne quo alio opere suo id fa- ciat* (2) , veluti arborem ponendo (4) , vel sylvam in domo sua serendo , vel aliud in expositum habendo , quo *lumen minuatur* (4).

(1) *Lumen cœli enim non serviens ex dominantis , sed dominans ex servientis area , ad illustrandas ædes suas , excipit , seu recipit.*

(2) L. 15. D. 8. 2. — *in luminibus* autem (non officere) , ne lumina cuius quam obscuriora fiant. Quodcumque igitur faciat ad *luminis* impedimentum , prohiberi potest , si servitus debeatur : opusque ei novum nunciari potest , si modo sic faciat , ut lumini noceat.

(3) L. 17. D. cod. — Si arborem ponat , ut lumini officiat , æque dicendum erit , contra impositam servitutem eum facere : nam et arbor efficit , quominus cœlum videri possit. Si tamen id , quod ponitur , lumen quidem nihil impedit , solem autem auferat , si quidem eo loci , quo gratum erat eum non esse , potest dici , nihil contra servitutem facere. Sin vero heliocamino , vel solario , dicendum erit , quia umbram facit in loco , cui sol fuit necessarius , contra servitutem impositam fieri.

(4) L. 17. §. 1. D. si serv. vind. — Cum in domo Caji Seji locus quidam ædibus Annii ita serviret , ut *in eo loco positum habere jus Sejo non esset* , et

In verbis itaque sequentibus : « atque ita MINUERE lumina nos- » trorum ædificiorum » potissimam inter servitutem luminum et ne luminibus officiatur differentiæ rationem constituere voluit Paulus ; quoniam in luminum servitute lumina ædibus dominantibus *non quidem in totum tolli*, *at minui tamen*, in servitute ne luminibus officiatur , autem , *ne minui quidem vel minime possunt*.

Hactenus , notionem servitutis luminum et ne luminibus officiatur exposuimus , jam vero naturam utriusque servitutis diligentius explicare , non abs re nobis esse videtur. Hac vero ratione sequentia notamus :

I. Servitus luminum semper supponit , domum dominantem a domo serviente , *per aream domini servantis* , separatam esse , in qua hic , absque constituta servitute luminum , ædificare ita potuisse , ut lumen domui dominanti tolleretur , h. e. , penitus includederetur. Inde servitus luminum , constitui nequit , quando

1°. Domus dominans et serviens contiguae sunt , nulla inter eas area intermissa (1) ;

2°. Vel quando domus dominans et serviens per viam publicam separatae sunt. Cum enim super viam publicam a nemine ædificari , adeoque nec lumen vicino e regione habitanti tolli , hoc est , penitus intercludi possit ædificando , inutilis prorsus et absurdum foret servitutis luminum tali casu constitutio , quippe qua dominus dominans plus juris acquirere non posset , quam sine ea habuisset. Aliter id se habet in servitute ne luminibus officiatur , quippe quæ tam contra eum , cuius domus a vicini domo per *aream* (fundi servantis) ,

Sejus in eo silvam sevisset , in qua labra , et (tenes) cucumellas positas haberet : Anno consilium omnes jurisperiti dederunt , ut cum eo ageret , *jus ei non esse* , *in eo loco ea posita habere invito se*.

(1) Hoc quidem recte animadverterunt *Duarenus* I. Disput. universar. 33. — Cujacius ad t. 2 et 4. D. de serv. præd. urb. (opp. Neapol. tom. VII. p. 408). — Et omnes alii interpretatores qui eosdem secuti sunt.

quam contra eum , cuius domus a vicini domo per *viam publicam* separata est , competere utique potest ; nam vicinus cuius domus a domo mea per viam publicam separata est , altius tollendo , si non tollere , h. e. , penitus intercludere , *minuere* tamen mea lumina potest ; quod ne faciat , servitutis , ne luminibus officiatur constitutione omnino cayetur (1).

II. Luminum servitute constituta , dominus serviens altius tollere ædes suas utique potest , quia altius tollendo , lumen ædibus dominantibus non tollitur sed minuitur tantum (2). — At , servitute ne luminibus officiatur , constituta , ædes servientes altius tolli , propter eandem rationem , quod altius tollendo lumina minuuntur , nequeunt. Inde etiam est , quod *Paulus* in l. 4. D. de serv. urb. et in l. 6. pr. D. si serv. vind. et *Ulpianus* in l. 15 D. si serv. vind. servitute tantum , ne luminibus officiatur , non etiam luminum servitute constituta , id acquisitum esse dicant , ne jus sit vicino *altius tollere* (3).

III. Julianus in l. 22. D. de serv. urb. tradit , dominum fundi do-

(1) Hoc præcipue locum habet quando Mæniana (Gallice , *Balcon*; Germanice , *Ercker*) super viam publicam coustruuntur. — De Mæniano vid. l. 11. C. de ædific. privat. et *Jacob. Gothofredum* , Comm. ad l. 39. Cod. Theodosiani de Oper. publ. tom. V. p. 351.

(2) Expressis verbis *Paulus* in l. 4. D. de serv. urb. ait . « Altius ædificare , atque ita minuere , lumina ædificiorum nostrorum . » Haud recte ideo *Guilelmus Otto Reizius* in Theophili græca Paraphrasi L. II. Tit. 3. §. 1 in fin. vertit : « Ut ne tibi licet domum tuam altius tollere , atque inde lumen mearum ædium eripere . » Græca enim , qua *Theophilus* usus est vox ἀφαιρεσθαι significat minuere , debile reddere , non eripere , id est penitus auferre. Et ideo rectius vertit hic *Fabrotus* in sua Theophili versione , Parisiis 1657. 4°. p. 187. « Ne tibi licet domum tuam altius tollere et ita luminibus ædium mearum officere . » Officere enim est impedire , obstare ideoque minus quam eripere , tollere.

(3) Etiam *Cicero* , dum in Orat. pro Rabirio , cap. 16. translate dicit : « Nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunæ et gloriae . » Clare innuit hac ipsa translatæ locutione per pulchra , altius ædificando luminibus alterius offici.

minantis posse servitutem imponere domino servientis , ut non solum de his luminibus , quæ in præsentia erunt , sed etiam de his , quæ postea fuerint , caveat. Et addit *Pomponius* in sequenti l. 23. D. eod. Quodsi ita sit cautum : *ne luminibus officiatur* , ambiguam esse scripturam utrumne lumina intelligantur , *quæ nunc sunt* , an etiam *quæ postea* quoque fuerint ; sed humanius esse , verbo generali omne lumen significari , sive quod in præsenti , sive quod post tempus conventionis contigerit (1). Ambæ hæ leges quamvis solummodo de servitute ne luminibus officiatur , tractent , tamen optimo jure ad luminum servitutem extendend credimus. Eadem enim utrinque ratio militat , et servitus luminum et ne luminibus officiatur luminis nonnisi gradu et quantitate differunt , in omnibus ceteris vero convenient , eademque humanitas , id est , æquitas , quæ , in posteriore casu , movit Pomponium , non magis in servitute ne luminibus officiatur , quam in servitute luminum adest.

IV. Occasione modo memoratæ l. 23. D. de serv. urb. casum singularem practicum hic proponam , quem tractavit et optime decidit *Bartholomæus a Saliceto* , Jctus Bonnoniensis seculi XIV et XV. Ait autem : « quæro , promisit Titius luminibus non officere , etc. » postea domum altius elevavit , nec propter elevationem offecit. » Nunc vult dominus domus dominantis in aliquo pariete interposito » novam cameram facere in qua lumen non habet , nisi novam » fenestram faciat in ea parte , in qua vicinus altius domum ædifi- » cavit : quæritur , an possit agere , ut ille deprimat domum ita , ut » per fenestram faciendam lumen in illa camera recipiat ? Et videtur , » quod sic , ex quo de futuris luminibus et fenestris intelligatur , ut » l. 23. D. de serv. urb. in contrarium tamen facit , quia ex huma-

(1) Cf. *Jos. Averanius* , III inter. jur. 25. n. 1. et 27 ubi ex professo l. 23. D. cit. interpretatur. — Add. *Harmenopulus* l. 1. prom. Jur. Civ. Tit. 15. — *Gluck.* tom. 10. p. 122.

» nitate illud procedit, ut ibi dicitur; sed nunc esset inhumanum,
 » ut ille deprimeret domum, quam ædificavit *isto sciente* et pa-
 » tiente (1). »

Salicetus hic etiam tantum loquitur de servitute ne luminibus
 officiatur, sed ex eadem ratione qua ante, hoc etiam ad servitutem
 lumen, extendendum credimus.

V. Utiliorem multo esse *prædio dominanti servitutem*, ne lumi-
 nibus officiatur, quam servitutem lumen, planum et perspicuum
 est. At *servienti domino* utiliorem esse servitutem lumen, quam
 servitutem, ne luminibus officiatur, pariter verissimum nullique
 dubio obnoxium est.

VI. Servitus lumen non minus, quam servitus, ne luminibus
 officiatur, *servitus negativa* est. Affirmativa ideo nec est nec esse
 potest, quia in servitute lumen dominus dominans in *prædio*
 servantis facere nihil potest: ergo negativa esse debet, quia domi-
 nus dominans jus habet prohibendi servientem, ne in suo quid
 faciat, hoc est, ne ita fabricet in sua area, ut vicinæ domui lumen
 tollat.

VII. Servitute lumen constituta, dominus serviens in sua area
 ædificare omnino, sed ita potest, ut domui dominanti lumen non
 penitus intercludat. Id claris verbis hisce exprimit Jctus Gajus in J.
 l. 2. §. 14. — « Ut ita quis *fabricet*, ut vicinæ domui lumen non
 tollat » (2). — Servitute vero, ne luminibus officiatur, constituta,

(1) Cf. *Bart. a Saliceto* Comment. ad l. 12. C. de servit. et aqua. n°. 5. — Verissima est hæc decisio, quoniam dominus dominans, sciens patiensque servien-
 tem ædificare, tacite juri suo renunciavit. — L. 8 D. quemadm. serv. amitt. — *Voet*, Comment. ad tit. D. quemadm. serv. amitt. §. 5.

(2) Quamvis hæc verba in Gaji institutionibus, in hoc loco defectuosis non
 reperiantur, tamen sic optime ab *Ant. Schultingio* in *Jpdia. antejustinianea*, Lips.
 1737. p. 75. restituta sunt. Eadem verba optime definitionem nostram de servitute
 lumen probare, non ignoravimus, sed quia in ipso Mspto desunt, ex illis
 argumentum haurire nolui.

nonnisi rarissime dominus serviens ædificare in sua area poterit , quia lumina domus dominantis , ædificando in area servientis , plerumque minuuntur . Si tamen dominus servientis ita in sua area ædificare posset et vellet , ne lumina domus dominantis ullo modo minuerentur , quod fieri tum posset , *cum infra fenestras domus dominantis et juxta hanc aliquid in area sua erigere vellet* , utique hoc ipsi permittendum est (1) .

VIII. Quodsi , luminum servitute constituta , de necessario lumine inter dominum servientem et dominantem lis oritur , justum judicis arbitrium , quantum luminis habitantibus in usus diurni moderatione sufficiat , definit ; et tunc quis dicatur habere lumen , quando existens in domo vel camera possit videre cœlum , non autem quando prospiceret , mittendo caput extra fenestram , quia tunc raro contingret , ut cœlum videri non posset (2) .

Quæ hactenus de notione et natura servitutis luminum et ne luminibus officiatur secundum jus romanum exposuimus , sufficere credimus , et transimus ad id quod in codice civili nostro hodierno hac de materia invenimus .

C A P. II.

Duo sunt articuli codicis nostri qui de onere aliquo , fundo incumbenti , loquuntur , quo jus proprietatis in eo restringitur quod dominus fundi solummodo lumina in muro suo aperire potest ; textum eorum hic referamus .

Art. 676. — « Le propriétaire d'un mur non mitoyen joignant immédiatement l'héritage d'autrui , peut pratiquer dans ce mur

(1) *Cujacius I. Obs. 4. et in Comment. ad l. 4. D. de serv. præd. urb.* (in Opp. Neap. Tom. VII. p. 408. lit. E.) contrarium putat , sed militant pro me l. 15 et 17. pr. D. de serv. præd. urb.

(2) *Cæpolla , de serv. urb. cap. 36. n°. 1.*

» des jours ou fenêtres à fer maillé et verre dormant. Ces fenêtres
 » doivent être garnies d'un treillis de fer dont les mailles auront
 » un décimètre (environ trois pouces huit lignes) d'ouverture au
 » plus, et d'un châssis à verre dormant. »

Art. 677. — « Ces fenêtres ou jours ne peuvent être établis qu'à
 » vingt-six décimètres (huit pieds) au dessus du plancher ou sol de
 » la chambre qu'on veut éclairer, si c'est à rez de chaussée, et à
 » dix-neuf décimètres (six pieds) au dessus du plancher pour les
 » étages supérieurs. »

In codice civili nostro nullomodo de servitute luminum Romanorum loquitur (1), nam differt onus, his articulis fundo impositum, in eo a servitute luminum Romanorum, quod non sit vera servitus, sed potius jus inhærens juri proprietatis, quia quivis proprietarius facere potest in suo fundo quod sibi placet; et apertis luminibus in suo pariete ab uno proprietario, alter exstruendo muro illa omnimodo obscurare potest. — Differt adhuc in eo quod hoc onus *domino dominanti*, vel potius proprietario sit *impositum*: est ergo restrictio juris proprietatis, quod solummodo apud Romanos per privatorum pacta fieri potuit. Sed haec omnia facilius in explicatione horum articulorum videbimus. Transeamus ergo ad hanc explicationem, et vidimus :

1°. Jus aperiendi lumina solummodo concessum esse, quando paries qui separat fundos vicinos non interreginus est, i. e., quando ad unum dominum exclusive pertinet.

2°. Quando camera vel alia domus pars quam illuminare volumus in soli superficie est, lumina ista constitui nequeunt nisi octo pedibus

(1) Cf. *Fournel, Traité du Voisinage*. vol. II. p. 181. v° *jours*, ubi dicit in fine articuli : « Toute cette matière est restée dans le domaine de la juris-prudence, le Code Napoléon n'en ayant pas dit un mot dans toute l'étendue du titre IV qui sembloit le siège naturel de ces questions. »

altius solo hujus careræ. Nil interest qualis sit altitudo vicini fundi qui aliquando eandem altitudinem non habet (1).

3°. Altitudo sex pedum (*dix-neuf décimètres*) supra tabulatum solummodo requiritur pro superioribus aedibus (2).

4°. Aperturæ istæ cujuscunque magnitudinis esse possunt, nam art. 676 et 677 dominum quoad hanc facultatem non restringunt (3).

5°. Hujusmodi aperturæ instruantur cancellis ferreis quorum masculæ decimetro ad summum (tres circiter pollices) meent, itemque replo vitrisque immobilibus; i. e., muro infixis ibique permanentibus, ut verbo dicam tales sint quæ aperiri nequeant (4).

6°. Quando hæc lumina scalæ inserviunt, et gradus illius, paritem, in quo lumina aperienda sunt, sequuntur, computanda est altitudo incipiendo ab illo gradu qui omnino est infra lumina (5).

Eo in casu quo paries interreginus sit, diximus, nullum lumen aperiri posse nisi consentiente vicino. An paries interreginus separat

(1) Cf. *Pardessus, Traité des servitudes*, n°. 210. *Délvincourt*, v. 1^{er}, p. 566, n. 1. et *le nouveau Répertoire*, v. vue, n° 3. — *Toullier, Droit civil français* v. 3, n°. 526, contrariam defendit sententiam. Distantiam octo pedum ait etiam e regione vicini observandam esse, « parce que le voisin pourroit alors être vu chez lui ». Hæc ratio quam refert clr. Toullier haud sufficiens mihi videtur, nam quamvis fundus vicini sit altior, tamen dominus parietis nullomodo faciliorem habebit prospectum in hunc fundum.

(2) Cf. *Boniface*. T. 1. tit. 26. p. 568. *Bezieux*. liv. 2. ch. 6. §. 3. p. 172. *Arrêt du 11 fév. 1705*. — *Julien sur le statut de Provence, des Presc. sect. 4. n° 19*. T. 2. p. 551. *Desgodets sur l'art. 200 de la coutume de Paris*. — *Délvincourt*, v. 1. p. 566. n°. 2. — *Pandectes françaises*; v. 5. p. 471.

(3) Cf. *Coquille*, sur l'art. 201 de la cout. de Paris. — *Pardessus Traité des servitudes*, n°. 210.

(4) Cf. *Desgodets*, sur l'art. 201 de la coutume de Paris. — *Délvincourt*. v. 1. p. 566. n°. 14.

(5) Cf. *Délvincourt*. v. 1. p. 566. n°. 1.

loca aperta seu tecta parum refert, quippe hæc prohibitio non fundata est communis securitatis principiis, sed ea regula juris, quod paries interreginus ad utrumque vicinum pertinet, eamque ob causam alter altero non consentiente de illo diponere nequit (1).

Sed quando alter vicinorum, adipiscendi muri communionem jure art. 661 concesso, utitur, aut quando alter condominorum impensis suis murum interreginum extollit (2), hujus juris exercitium quæstiones maximi momenti movere potest.

Primo quæritur, an muri communio, luminibus apertis, acquisita, alteri vicinorum det jus illa lumina obstruendi? (3) Sententia qua affirmative responditur præferenda est, ni fallor, et art. 660, 661 et 675 nullum hac de re admittunt dubium (4). Verum quidem est hos articulos nil expressim hac de sententia statuere, attamen eos bene si perpendas eorumque sensum colligas, nostram hanc opinionem haud facile rejicies. Admittas enim opportet maximum dominorum numerum, jure sibi concesso uti, eum in finem, ut lumina obstruentur. Sententia illorum, qui adiutori iibi adiutari volunt, parum fundata est, quippe facile foret requisitum illud evitare, construendis operibus minoribus, mox destruendis. Anne tunc vicino liceret restituto muri medietatis pretio, de novo aperire lumina muri separationis? Ingens litium numerus oriretur, quæ maximo jure evitentur (5).

(1) L. 4o. D. 8. 2. de serv. præd. urb.

(2) Art. 658.

(3) *Lemaître* sur la coutume de Paris, p. 227. — *Delaurière* sur l'art. 199 de la même Cout. *Pothier*, contr. de société, n^o 248. — et Cout. d'Orléans, art. 231. n^o. 2.

(4) Cf. *Delvincourt*, v. 1. p. 566. n. 13. — et le nouveau Répertoire, v. vue, §. 8.

(5) Sic judicatum, *Lugduni*, die 5^e martii 1812; de hoc judicio appellatio rejecta est a suprema curia Galliæ die 1 décembr. 1813. (*Sirey*, 1814, 1^{re} partie,

Dein quæritur num alter condominorum muri interregini qui simul solus dominus est partis cuiusdam muri , i. e. , illius quam impensis suis extulit , lumina aperire possit in parte non interregina ? Hæc quæstio iisdem resolvenda est principiis quam præcedens. Lex solummodo in muro interregino lumina aperiri vetat , atqui pars altius exstructa (impensis unius) non est interregina , nonnisi soli conditori periculo atque damno est , ergo colligat omnia bona quæ ex illo oriri possunt (1).

Hæc in codice nostro de luminibus statuta sunt , sed hæ dispositiones non obtinent , quando vicini inter se de hac re aliquid contraxerunt (2).

Unicuique vicinorum a regulis lege præscriptis desistere licet , aut statuere quod nunquam lumina supprimat aut iis officiat. Hac servitute *luminum* constituta , ille qui est obligatus , iis nullo modo officere potest.

Ex altera parte dominus prædii dominantis , in exercendo jure suo stricte atque rigorose quod sibi concessum est observare debet , quin jus suum extendat aut elargiendis aut elevandis aut augendis luminibus.

Contra , cum lumina , quæ secundum legem aperiri possunt , solummodo permissa sint , vicinus in suo fundo quidquid ipsi lubet facere potest. Servitute non oneratus est , quippe ut vidimus supra , medietatem emere , indeque lumina obstruere posset , licet quoquo tempore extiterint (3).

p. 95). Eadem curia , die 5 decembris 1814 adhuc eodem modo judicavit. (Bulletin , n°. 96).

(1) *Delaurière* , sur l'art. 200 de la coutume de Paris. — *Delvincourt* , vol. 1^{er} , p. 565. n. 11.

(2) *Delvincourt* , vol. 1 , p. 565 , n. 10.

(3) Cf. *Toullier* . v. 3. n°. 534.

POSITIONES.

I.

Jure romano, jus accrescendi non transit in emptorem hereditatis.

II.

Spurius recognitus adoptari nequit.

III.

Conjux ætate minor tantummodo dimidiam partem bonorum, de quibus majori disponere licet, alteri conjugi fœstamento dare potest.

IV.

« Toute peine est injuste, aussitôt qu'elle n'est pas nécessaire à la conservation du dépôt de la liberté publique. » *Beccaria*, §. 2. des délits et des peines.

V.

Les produits ne s'achètent que par le moyen d'autres produits.
— *Say*, lettres à M. Malthus, p. 1-47.

Carmine refondens,

~~Dicitur hanc sententiam de sententiis huiusmodi et de lege off
eruptis non amplius aliquatenus tibi.
propositis, ministris tibi adhuc quibusdam obsequiis
de quibus datur laus ejusdem observationis propriorum, et singulas
responsiones respondunt ut minima ad maxima
accidere possunt.~~

~~Si interpretatione quam de lego a D. resp. pro. urb.
exposita, optime interpretationem usque ad maximum tempus
explicationes rejectis, sed nescio quomodo ad objectum
sequentis responderem poteris.~~

Lex secunda est: Luminaria servitatem etc.

*Alium sensum verbis in propositione priori tribuit
gloriam iisdem verbis in posteriori propositione. hoc
maxime adepte videtur; ne quis sit videtur invitus
nobis alius. Definire et. Hoc sunt verba eadem in
lege enim: Propter naturam eius, magis conservare
arbitror iisdem verbis in duas sententias tribuisse mihi
legis interpretationis omnis pervertitur velij.*

*Resp. Pauli sensus obscurior - legumdimo dux
non idem est - et verba duplium sensum habent -*

Lex singula inveniamus:

12. Tertium verbū viām in legi praei proportione
habere eundem sensum quem in posteriori
attribuo, nempe sensum domini servientis. Servitū beneficiorum
- 22. Verba: ad aquistatum viaturū in 1^o ad. m. significant
ac verba ad propositiones: per mecum ad ipsi redimus
scilicet: ad nobis domino dominanti aquistatum reditur.
3^o Lumina nostra in priori propositione, eadem
modo sunt intelligenday quo in posteriori scilicet
lumina dominantis.

Pro pag. 22 ad questionem respondet affirmativè
sed item iuris art. 673 contrarium habet
legam theses locum: - Et responsio
num in art. 673 dicitur columnando pratique des j
sed non prohibetur conservare; it expressio pratique des j
valde non potest nisi significatum
rebus constructionem nos form a que posteriorum
ydeque lumina aperta retinenda sunt usque
ad momentum quo viam ad parvum ^{componere} ~~intelligere~~
~~ad finem~~ constructa.

Satum Cicero distinctionem inter lumen et prospectum non cognovit quod dicit.
Ita De Or. I. 30) — Quia quidam in genere familiaris noster
Bisenius parvo neque raro praeceps studiis es suo valde
expedit, et a genere studio non abparvus, similiter in re
quendam modo nuptie erat. Namque cum adeo
Fusio dividet, in manu ipso lumina, ut in manu opem
ita recipit. Fusio simulque adficari cestum
est in quadam parte urbis, quo modo ex illis
adibz conspicere possit, egit statim cum Bacchus
quo emenique particulae soli officeretur, quandoque
egit procul, mutari lumina protabat.

Hoc in loco prospectus ~~in~~ parte minori minutes quam
est procul, consideratur maximum lumen, quo
menique particulae soli officeretur. Ideoque Cicero
lumen cum prospectu vel fenestra confundit; Cicer
eius auctoritas sane non parvi praeceps est.

Ecce 40 D. de serv. prae. urbanorum: Cos qui juxta luminibus
immittendi non habuerunt, aperto gratiis communice-
nullo labore fenestras immisisse respondi. — Hoc
in lege juxta luminibus immittendi requiriatur, ut fenestra
faure proficiat. — Hoc 40 immedio referenda est
ad legem so ut hanc ope illius explicemus; Etiam
Pothier optime dicit. Ideoque servitus fenestra ex
servitu luminum uera eadem servitus est. —

In pag. 20 respondum ad questionem dñs, quod
principis contradicere credo: Questio: quando unius
concedit finem attulit epp' cum ipse, ne
suum in domo sua turbaretur; uti optime
dicit Coullier; Pro quo etiam cum Coullier
admittere debet: distans octo pedum e regione
suum observandam ipse; alias enim vicini
in domo sua videbentur, sicut optime Coullier
contendit. Si v.g. solum unius profundiug
solo vicini, proprietatis tamen apertus obtinuerit
octo pedum. alias enim non suparentur
solum vicini nisi duobus pedibus.